

postquam illud consecutus fuerit, acquiescit. Phil. Mel. d. l. III. De-
niq̄ accipitur nonnunquam finis, pro ipso subiecto occupante, vel obje-
cto, circa quod res versatur. Zabarel. c. 15. & 18. lib. 1. de N. L. ubi
erroris causam fuisse notat, quòd finem pro subiecto acceperint, qui ta-
men propr. finis sit. Tolet. c. 19. lib. 2. Phys. Arist. quæst. 14.

XXXV.

Nos verò ex his primam significationem, ut instituto nostro accom-
modatiorem & magis propriam assumimus. Sicut autem cujusq̄ artis
finis verus est is, ad quem non pars aliqua, sed tota & universa essen-
tia, naturaq̄ artis tendit: ita & Dialecticæ finis non ex aliqua, sed ex
omni propria ejus virtute generatim sumendus & metiendus est.

XXXVI.

Iam verò nullum alium finem Logicæ habemus meliorem, & cum
usu magis convenientem, præterquàm à magno illo Melanchthone nobis
communicatus est, atq̄ est benè docere, seu, quod idem est, benè disse-
rere, ratiocinari, aut ratione uti. Paulus Frisius lib. 1. compar. DiaL.
comp. 7. pag. 21. Gocl. Probl. Log. Part. 1. pag. 37. Ad hunc enim,
tanquam ad propositam metam, omnia Logices præcepta rectè referun-
tur, eiusq̄ gratia inventa & descripta sunt.

XXXVII.

Quòd autem Snellius, & alij Ramistæ hic objiciunt: Docere esse
omnium artium commune; non soli ergò Logicæ competere: Nos non
multùm curamus; sed potius distingvimus, ac dicimus; aliud esse benè
docere, quòd actionem & usum Dial. denotat, qui est communis omni-
um artium, juxta illam auream regulam: Artes præceptis sunt disiun-
ctæ: usu autem coniunctæ: Aliud verò esse tradere aut continere mo-
dum docendi, & præparare instrumenta rectè docendi. Et hoc est pro-
pria forma seu finis Dialecticæ; quia de his in nulla alia arte tractatur
& habetur.

XXXVIII.

Sed hic instant: Docere fit potissimùm sermone: Non igitur per-
tinet ad Logicam, quæ disciplina ratiocinandi, non sermocinandi est.
At frustra nobis obganniunt: aliàs enim docere denotat actionem arti-
ficis, sitq̄ sermone: aliàs est complecti præcepta de modo benè docendi:
estq̄ artis proprium; illud personæ.

alij